

glexerit, ipse proprii debiti usuras amittit, alieni vero ipsemet de suo solvere tenetur, maxime si usuræ fuerint graviores. *d. §. 5.* Potest autem tutor vel curator non tantum res pupilli & minoris mobiles illius creditoribus solvere, sed etiam immobiles, & quidem interdum etiam sine Magistratus decreto; si scilicet res immobilis in specie debeatur: v. g. si fundus pupilli à patre defuncto, cui pupillus heres extitit, fuerit legatus, venditus vel stipulanti promissus, tunc tutor vel minoris curator illum etiam inconsulto Prætoris legatario, emptori vel stipulanti solvere, & per solutionem ejus dominium in alium transferre potest; *l. 5. §. 4. §. 6. & 7. ff. de reb. eor. qui sub tut.* quod tamen secus est, si ipse tutor vel pupillus cum tutoris autoritate fundum illum vendiderit, aut stipulanti promiserit. Hoc siquidem in casu, ut fundus debitus recte solvatur, decretum Prætoris requiritur. *d. l. 5. §. 5. ff. de reb. eor. qui sub tut.* quod etiam verum est, si pecunia debeatur, & nummis deficientibus, tutor vel curator rem immobilem, vel aliam, quæ servando servari potest, in solutum dare vellet; nam hoc ut valeat, causæ cognitio & Prætoris permissio ut præcedat, omnino requiritur. *l. 12. C. de præd. & al. reb. minor.*

*Thesis VIII.*

Denique solvendi potestatem etiam habet debitoris Procurator; & quidem non tantum ille, cui illa specialiter est mandata: sed etiam procurator universalis, cui à debitore omnium bonorum administratio est commissa, *arg. l. 10. §. ult. & l. seqq. ff. de pact. l. 17. §. ult. ff. de iurejur. l. 11. §. ult. & l. seq. 12. ff. de Pignorat. act. l. 20. §. 1. ff. de Novation.* adeo ut nec Domini ratihabitio hic sit necessaria. Nam qui Procuratorem omnium rerum suarum constituit, id quoque mandare videtur, ut creditoribus suis pecuniam solvat. unde quodlibet debitum ab illo procuratore solutum, à creditore ejus Domino repeti nequit, *l. 87. ff. de solut.*

*Thesis IX.*

Tandem debita solvere possunt non tantum ipsi debitores, & illorum tutores, curatores ac procuratores, sed etiam tertii debitorum nomine res suas proprias solventes, illarum dominium transfe-

transfe-